

2.R
432
17

IIc
1482

PROPTIO NVMINE
EXORTA LVCE NATALI
SERENISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE
D O M I N A E

BERNHARDINAE
CHRISTIANAE SOPHIAE

DVCIS SAXON· IVL· CLIV· MONT· ANGR
ET GVESTPHALIAE REL

FORTVNATISSIMA TORI CONSORTIONE

TERRIS SCHWARZBVRGICIS CONCESSAE

PATRIAE MATRIS

AD GAVDIA HAECCE NATALITIA

PIIS PRECIBVS AC VOTIVIS ACCLAMATIONIBVS A MVSIS NOSTRIS

PVBLICE DECLARANDA

PERILLVST· ATQ· EXCELLENTISS· ILLVSTR· MAGNIP
CONSVLTISS· SVMME PLVRIMVMQ· REVERENDOS
NOBILISS· DOCTISSIMOSQ· ATHENAEI NOSTRI
EPHOROS FAVTORES ET AMICOS

HIC NON NIHIL PRAEFATVS

DE

HONORE PRINCIPVM SIMVLACRIS SERVATO



CRASTINO SI DEVS VELIT PERACTIS SACRIS MATVTINIS

VNA CVM CLARISS· RECTORE

QVA QVEMVIS DECET OBSERVANTIA

INVITAT

M· FRIDER· NIC· VLRICH

CONR



RVDOLPHIPOLI, AERE VIDVAE LOEWIANAE

CHRISTIAN KOPPEL
BIBLIOPHILE

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG

VERLAG
LEIPZIG





A. Ω



quem ad modum pius Princeps, ac sanctus, haud insolite nominatur uiuum quoddam simulacrum Dei in terris, quippe qui optimus pariter, ac potentissimus est, cuique bonitas hoc praestat, ut omnibus prodesse cupiat, potentia, ut, quibus uelit, possit, ita recte ac iure, qui Numen caeleste inter mortales representant, digni existimantur, quibus ob id ipsum eximium quoque honorem habeant ciues. Proinde Seneca eadem Primorum, seu Principum, reuerentia ductus, *Si consulem uidero, inquit, aut Praetorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam. Equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam* (a) Quamquam igitur regionibus nihil fructuosius, subiectisque nulla laus amplior, est, quam, quibus summa imperii sit tradita, iis honorem, ex naturae praescripto iamiam debitum, seruare, tamen pietas haec prisco aeuo, inter gentes,

(a) Epist. 65

gentes, ueri cultus diuini expertes, culpam traxit, siquidem in tantam superstitionem uersa sit, ut uel simulacris Principum honor supra rei dignitatem tribueretur

Eiuscemodi uero cultus, quam *religiosus*, tam *ciuilis*, fuisse ex ueterum monumentis perhibetur. Ille quidem non nisi fato functorum simulacris praestitus commemoratur, ita tamen, ut Imperatores, acriore in dies gloriae siti compulsi, nec non ea, quae supra hominem et mortalitatem putantur, affectantes, tandem ipsorum simulacrorum suorum uenerationem uiui ferrent. Taceo *sacrificia*, quae moris erat ad statuas et columnas Principum offerre, id quod non ad *Caesaris* tantum, uerum quoque ad *Augusti* columnam, factum fuisse, *Suetonio* (b) et *Tacito* (c) auctoribus, constat. In primis *Traiani* simulacro a Christianis inuitis, et metu coactis, hunc honorem esse seruatum, *Plinius* testatur, *Propositus est libellus*, scribens (d) *sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent, se esse Christianos, aut fuisse, quum, praecunte me, Deos appellarent, et imagini Tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris Numinum afferri, ture ac uino supplicarent.* Transeo praeterea *Adorationem*, quam Imperatores, teste NAZIANZENO (e) *parum sibi habebant, nisi eadem quoque in imaginibus et picturis prestaretur.* Quo factum, ut *Caligula* imagines suas, quouis terrarum missas, curarit adorandas. (f) Ne dicam, *nota* saepe numero ad Principum simulacra suscepta, et controuersias, sacramento interposito, esse consopitas, (g) siquidem assentatores uulgo persuadere conarentur, statuis Principum Genium adesse, et Numen. Proinde sanctior, quam *per genium Principis*, iurisiurandi formula illis non erat. Accedit, quod huiuscemodi simulacra haud raro *forma et habitu Deorum fabri-*

(b) in uita Caes. c. 85

(c) Lib. IV. Annal.

(d) Lib. X. ep. XCVII

(e) in Orat. I. in Iulianum

(f) Zonaras Lib. II. Annal.

(g) Sueton. in Caes. C. 85

fabricata sunt, sicuti *Commodus Antoninus* statuas acceperit in habitu *Herculis* (b) Adiciiebantur tandem *insignia* quoque *Deorum* talismodi simulacris, utpote fulmen, radius, et altra (i) quin immo iuxta *Deos ipsos* (k) collocabantur, idque tantum honoris *religiosi* testandi ergo

Venio nunc ad uenerationem *Ciuilem*, Principum simulacris ab antiquae superstitionis sectatoribus haberi solitam. Ecquem praeterit, imagines tales *coronis perinde ornatas, ac floribus sparsas*. Venit in mentem *Martialis* (l)

Haec mihi quae colitur uiolis pictura, rosisque, canentis. Sic *Aquilienses, Maximi, Balbini, Gordianique*, imagines, lauro condecoratas, acclamationibus faustis, profecuti traduntur, maxime, quod laurus gloriae, ac triumphorum, symbolum esset. Consimili modo *Octauiae* imagines floribus conspersas esse, nouimus. (m) Aliud reuerentiae ciuilis genus sequitur, quo *imagines humeris gestare et circumferre* consuerant. Qui mos autem singularis aerae popularis documentum esse uidetur, siquidem, cum *Nero Octauiam* reuocasset, populus Illius imagines humeris gestaret (n) De gestatis a populo *Neronis et Agrippinae* imaginibus fauoris declarandi causa, itidem exponitur a *Tacito*. (o) Quem ad modum autem facinus erat, uel *conflare*, uel *uendere* talismodi simulacra, ita non minus grande nefas habebatur, si quid *obsceni, aut, quod, remotis arbitris, facere honestas nos iubet, in illorum conspectu fieret*. Qui enim lupanari, aut latrinae, annulum, uel nummum, Imperatoris effigie signatum, intulisse, seu quocunque modo ad requisita naturae perhibebatur secessisse, ubi simulacrum tale positum erat, capitale crimen patrasse, nec non ipsam maiestatem imminuisse, iudicabatur. (p) Et quod primo loco

) (3

dice-

(b) Lampridius in eius uita c. 9

(i) Lucan. Pharf. L. VIII

(k) Sueton. in Caes. c. 76

(l) L. X Epigr. 32

(m) Tacitus Lib. XIV

(n) Tacit. XIV, 6

(o) Annal. 5

(p) Sueton. in Tib. c. 58. Spartianus in Caracal. c. 5. Iuuenal. I. 130. Per-
sius I. 112

dicendum erat, uel *Ius Asyli* habuisse haec simulacra, memoriae proditum est. Asyla, ad uim iniuriamque propulsandam inuenta, in Deorum templis, aris, et simulacris, fere fuere, ut eorundem ueneratione supplices sese tutarentur. Sequiori tamen aeuo, cum Principum maiestas eodem, quo Dii, cultu afficeretur, eadem auctoritas, idemque iuris, et eorum statuis concessum est, ut eadem, qua Deorum simulacra, ratione tutissimum fugientibus perfrugium praeberent. Eo fugitabant autem liberi aequae, ac serui, ab aliis iniuria oppressi, uel periculo imminente impliciti, quos inde abstrahere maximum nefas ducebatur. Si qui tamen, non infantes, sed aliis iniurii, aut criminis cuiusdam grauioris rei, eo confugissent, ab ipsis statuis auulsi ad supplicia rapiebantur, cum iniustum uideretur, sacrae Principis statuam hominum proteruorum temeritati et sceleribus refugio esse. Sic Augustus traditur (q) Antonium iuuenem, simulacro D. Iulii, ad quod post multas et irritas preces confugerat, abreptum interfecisse. Quin immo, Tiberio imperium tenente, hoc simulacrorum priuilegium tanti ponderis fuit, ut ne seruum quidem quacunque occasione ad Augusti simulacrum uerberare liceret. Quocirca *Philostratus* refert, Impietatis non neminem esse damnatum, quod seruum suum, qui eodem tempore drachmam argenteam, Tiberii imagine signatam, gestabat, depexum dedisset. (r) Cum tamen mala multi mente ad haec simulacra aduolarent, non tam, ut periculi instantis securi essent, quam, ut inimicis inuidiam constarent, libertique etiam et serui, a Patrono, uel Domino, ubi uoces manusue intentarent, ultro metuerentur, arrepta Caesaris imagine, Drusus tandem suasu C. Celsii Senatoris deterrimam hanc licentiam compescuit, editoque ultionis exemplo, Anniam Rufillam, sceleris conuictam, a statua principali acciri iussit, et publica detineri custodia. Eo usque superstitionis sic prouecta est Quiritium gens, ut cultum *religiosum*, qui solus supremo omnium

(q) Suetonius in uita eius

(r) Philostratus de uita Apollonii Lib. I

omnium rerum arbitro debetur, non tantum Principum simula-
cris exhiberet, uerum etiam in ueneratione *ciuili* praestanda mo-
dum excederet, uanitatis suae nota hoc pacto data

Ad hunc locum deduxit nos eminentissimum uirtutis simu-
lacrum, idque uiuum et spirans, *Serenissimae Principis ac Domi-
nae, Dominae, BERNHARDINAE CHRISTIANAE
SOPHIAE, Patriae Matris nostrae Indulgentissimae*, cui tanto
uerius omnem pietatem obseruantiamque debemus, quanto mi-
rabilius mansuetudinis, comitatisque, grauitate conditae, orna-
mentis, nec non animo, ad uitae integritatem maxime conni-
tente, excellit, ciuiumque amorem ac uoluntatem hac re sibi
conciliat, quin immo, quanto longius ab omni fiducia ac spiri-
tu abest, qui iis, qui in fastigio inter homines nascuntur, facile
accedit. Etenim idem sentit, atque *Fridericus*, Romanorum Im-
perator, qui, interrogatus quondam, quinam ei carissimi essent,
respondit, *Qui me non magis, quam Deum ipsum timent.* (s) Hoc
magis igitur nostrum est, tam incorrupti exempli *Principem*, prae-
cellentissimumque uirtutis simulacrum, quantum possumus, ma-
ximo debitoque profequi honore ac pietate, quae, si quo ullo
alio, hoc profecto tempore potissimum testificanda uideatur, cum
Eiusdem Lux Natalis fausto sidere ac omine redux facta est. Ni-
hil autem loci superstitioni, nihil assentationibus, nihil denique
consuetudini uanae, hic relictum esto, sed grati tendamus su-
premo Numini manus, quod precibus nostris cesserit, nec non
communis salutis causa spiritum ac uigorem BERNHARDI-
NAE, in qua spes ciuium ac Patriae sunt sitae, benignissime
largitus, et tutatus sit, ut *Illius* incolumitatem stabilitam, diui-
naeque benignitate auctam et exaggeratam, uideamus. Nulla ita-
que tanta uis unquam reperiatur, quae eandem in posterum per-
fringere et labefactare possit. Penes quem solum est, nobis af-
ferre optata, faxit, ut, quae in omnium nostrum uotis ac menti-


bus

(s) Aeneas Syluius, seu Paullus II. Pontifex Rom. Lib. IV. commentar. in
res gestas Alphonfi

QK III 1482 X 337 1835

bus haerent, *Optimae huic Principi, Patriaeque Patri* longe Indulgentissimo, nostraeque laudis insignibus longe superiori, ex animi sententia obringant. Quae hic angustia paginae non capit, uberius mecum ore publice persequentur tres primi ordinis iuvenes, mihi perquam dilecti, filiique Duumvirum summorum, qui commemorabili laudatissimoque exemplo, quanti Principum piorum publica instituta et scholae sint facienda, ostendunt. Primus, LVDOV. NIC. FRIDEMAN. DOMRICH, Rudolphopol. solertiae et bonae spei plenissimus, *De eo, quod omnino est in tuenda Principum incolumitate*, oratione prosa latina aget. Alter, AVGVSTVS FRIDER. NORTH, Rudolph. praeclara ingenii dote instructus, atque ab officio moratoris filii alienissimum putans, paternam gloriam uidere, neque tamen aemulari, *de sacrificiis ueterum natalitiis*, oratione ligata Germanice dicet. Tertius CHRISTOPHORVS ANTON. DOMRICH, Rudolphip. paternorum decorum aemulus, multaque praeclara minans, *An uirtus a Deo sit petenda*, uerbis, numero adstrictis, lingua natia disquiret. P. P. Rudolphipoli ad d. III. Nonas Maias, Anno gratiae redintegratae
 clo lccc xxxviii





B.I.G.

Farbkarte #13

IIc
1482

PROPTER NVMINE
ATA LVCE NATALI
E PRINCIPIS AC DOMINAE
O M I N A E

NHARDINAE
ANAE SOPHIAE

ON IVL CLIV MONT ANGR
GVESTPHALIAE REL
SSIMA TORI CONSORTIONE
HWARZBVRGICIS CONCESSAE
ATRIAE MATRIS
IA HAECCE NATALITIA
TIVIS ACCLAMATIONIBVS A MVSI NOSTRIS
VBLICE DECLARANDA
EXCELLENTISS· ILLVSTR· MAGNIP
VME PLVRIMVMQ· REVERENDOS
TISSIMOSQ· ATHENAEI NOSTRI
S FAVTORES ET AMICOS

NON NIHIL PRAEFATVS
DE
CIPVM SIMVLACRIS SERVATO

S VELIT PERACTIS SACRIS MATVTINIS
CVM CLARISS· RECTORE
MVSI DECET OBSERVANTIA
INVITAT

ER· NIC· VLRICH
CONR

LI, AERE VIDVAE LOEWIANAE

